

III. *Ex Veterum Prussorum RE ANTIQUARIA Schediasma, a D. Jac. Theodoro Klein Reipubl. Gedan. a Secretis, R. S. S. cum D. Hans Sloane, Bar^t. R. S. Pr. communicatum.*

INTER varia Veterum Prussorum & Utenfilium & Luxus sui vel Ornamenti monumenta, olim circa funerationes terræ concredita, rursus e terra aliquando eruuntur ex Ære ductili affabre tornatæ complicatæque triplices lineæ, quæ vel laxatum Cingulum ex unico aut duplici triplicive circulo constantem effingunt, vel Coni figuram e basi sua per Spiram assurgentis, apice truncato repræsentant, cujus Spiræ ex ære nobiliori tam egregia elasticitas, ut facile comprimi & facilius in figuram conoidalem remitti queat, ita quidem, ut plus quam quatuor horæ minuta requirat, antequam ab impulsu requiescat.

Prioris Generis de Historia naturali optime meritus *Helwingius Præpos. Diæco. Algerb. Lithograph. I. p. 91. §. 2.* Funiculos metallicos vocat, eosque Cinguli loco destinatos fuisse recte judicat; illos, qui in Conum truncatum assurgunt, CORONAS SEPULCRALES (*ibid. §. 4.*) appellat, in Sepulcretis obvias, sed rarissime integras.

SIMILEM, ex omni parte integram & liberam ab Ærugine, (*vid. TAB. I. Fig. 1.*) cujus Diameter in basi $6\frac{7}{8}$ pollices Rhinland. adæquat, anno 1726. in Muscum nostrum deposuit vir admodum Reverendus, simulque Sententiam suam in literis ad me datis exposuit; nimirum, hujusmodi Conum spiralem fuisse Simulacrum Serpentis ænei Israelitarum, cum quibus veteres Prussi

Prussi multa circa Cultus suos Idololatricos communia habuerint, quod Simulacrum demum loco Amulcti in Sepulcra deposuerint; ut Serpentes, quos Prussi veteres pro Diis coluerunt, post obitum quoque reverenter habiti, Cadaveribus non nocerent.

Proculdubio Vir Doctissimus hujus gratia secutus est Castra eorum, qui Virgines Veterum Prussorum ab Israelitis, quos *Salmanassar* in captivitatem abduxit, deducere satagunt; quorum tamen opinionem *Christoph. Hartznock, Dissert. III. p. 48. §. v.* labefactavit.

Ast, licet verum sit, Prussos Ethnicos præter DIOS majores, *Percunum, Pikollum, & Potrimpum*, imo præter Solem, Lunam, Stellam, Lucos, Fontes, Alcem, Bufones, aliasque Bestias, etiam Serpentes veneratos, eosdemque & cultu & litamine ex lacte parato, in Quercubus præcipue cavis, quæ inauditæ plerumque magnitudinis & crassitie, (*vid. Hartknock Dissert. VI. de locis Divino cultui dicatis*) prosecutos esse*; licet quoque egomet ipse in Lithuania Prussiæ orientali subjecta sæpius observaverim, Serpentes infantibus adeo familiares esse, ut iisdem cochlearia lacte plena circumverterint, quorum esurientium ejulatu Parentes accersiti nihil contra indiscretos hospites ausi sunt, nisi quod eosdem pariter ac volatilia domestica a prandiis liberorum fugaverint: nullatenus tamen exinde inferri poterit, Prussos antiquos hac ærea Spira respectum habuisse ad Serpentem æneum Moïsis, nisi nobis etiam persuadere velimus, quod

* Qua ratione, quibusve Cæremoniis epula Serpentibus sint parata, *vid. Hartkn. in Ant. & Nova Prussia, p. 63. Conf. Dissert. ejus VIII.*

respectu Afflictionum Ægyptiacarum, nimirum 2^{dæ}, 3^{tiæ}, 4^{tæ} & 8^{væ}, Bufones, Ranas, & plurima Insecta singulari cultu sint prosecuti, eorundemque simulacra sibi comparasse. Neque verisimile est, ex veneratione erga Serpentes, quos, forsan ultra numerum, vivos in Ollis conservarunt, iisdemque valde familiares fuerunt, eorum insuper Idola, & multo minus Amuleta Serpentiniformia fabricasse, ut Cadaveribus sepultis de Serpentibus caverent, cum extra dubium est, quod veteres Prussi mortuos non aliter quam crematos terræ mandaverint, cujusmodi funerationes temporibus Ducis *Alberti* necdum aboliri potuerunt, hinc Cadavera Amuletis contra injuriam Serpentum non indiguissè. Cum, quod reliquum est, notissimum sit, veteres Prussos per Secula rudissimum fuisse populum, (*vid. Henneberger, in libr. de vet. Pruss. fol. 5.*) qui nec lanas ducere, nec ferrum, multo minus ænea vel utensilia vel luxui inservientia vasa parare didicerint, quin potius pro Hastis & Ensisbus Clavos horribiles, & pro malleis cuneisque ferreis lapides ad usus & domesticos & bellicos (qui diu sub nomine Cerauniarum venditati sunt) adaptaverint, nihilominus tamen non sine omni industria.

Summa itaque præmissorum hæc: Ceimelium nostrum nullam relationem ad simulacrum Serpentis ænei Moïsis habuisse, multo minus Probabilitatem Amuleti contra morsus Serpentum involvere; neque ex antiquissimis veterum Prussorum temporibus, sed ex medio potius eorum ævo originem trahere.

Unde autem Clarissimus *Helwingius* in *Alleg.* §. 4. adductus fuerit, ut vetus hoc monumentum titulo Coronæ Sepulcralis insigniverit, hariolari non possumus; quippe neque figura ullo modo Coronam æmu-

æmulatur, nisi dicere velis, Philosophiam Prussorum, occasione funerationis, quæ causa quandoque maxime lugubris, prout mors homini naturali omnium terribilissimum est, Coronæ loco ejusmodi Spiram tremulam excogitasse; neque apud ullum Auctorem vestigium apparet, veteres Prussos mortuos suos cum ejusmodi Cæremoniis, quibus nos utimur, ad funerationes exportasse, ita ut Virginis vel Juvenis loculum Corona ornaverint; cum neque ullibi Coronæ Sepulchralis mentio sit facta, quæ in honorem Defuncti vel ad latus ejusdem, vel ad caput, vel etiam ad pedes, prout apud nos viris, qui in Cœlibatu supremum obierunt diem, in Sepulchro deposita fuerit.

Sufficient autem sequentia, quæ Summam rituum funerandi Defunctos exhibent ex fide nostri *Hartknochii Dissert. XIII de Funeribus Vet. Pruss. p. 193. seq.* præter reliqua: “ Cum Defunctus erat tumulo
 “ inferendus, primo pyræ impositus comburebatur,
 “ deinde optimæ quoque vestes rogo injiciebantur, ut
 “ & canes venatici, equi, arma, aliaque defuncto,
 “ dum viveret, acceptissima.— Injiciebant quoque
 “ Annulos æreos, ut & Armillas æreas, præsertim si
 “ defunctus Christianorum sacra susceperat.” Et paulo post ex *Erasmo Stella*: “ Exutos spiritu, armatos vestitosque, ac magna Supellectilis parte
 “ circumposita, humarunt.”— Demum ex *Jacobi Leodiniensis* Privilegio Prussis dato: “ Promiserunt
 “ (Prussi) quod ipse & Hæredes eorum in mortuis
 “ comburendis vel subterrands cum equis, sive hominibus,
 “ vel cum armis seu vestibus, vel quibuscunque aliis rebus pretiosis, vel etiam aliis quibuscunque ritus gentilium de cætero non servabunt,
 “ sed

“ sed mortuos suos juxta morem Christianorum in
 “ Cœmeteriis sepelient.”

His omnibus rite perpensis, confidimus jure affirmare posse, Monumentum, de quo nobis sermo est, ad Supellectilem veterum Prussorum, & quidem Nobilioris Ordinis spectasse, & non nisi ARMILLAM, qua defunctus vel defuncta, sive in signum optime de Patria meritum vel Nobilitatis, sive singularis ornatus luxusque gratia usi sunt, fuisse, quæ cum reliqua Supellectilis parte circum Cadaver posita tali modo in terram devenerit, donec nostris temporibus aliquando in lucem rursus extrahatur.

Confirmavit sententiam nostram Doctissimus *Thomas Bartholinus*, qui in *Schedio* suo de *Armillis Veterum*, pag. 48. figuram exhibet Armillæ Brachialis pluribus Circulis inter se connexis ex Museo Antiquario *Olai Wormii*, nunquam ab aliis annotata; quam pag. 49. stupendæ Antiquitatis monumentum, dignum posterorum memoria appellat. Quæ si cum nostro Ceimelio debite conferatur, nescio, quid obstaret, quo minus Nostram ARMILLAM BRACHIALEM veterum Prussorum, & quidem pari jure cum *Wormii* Armilla, stupendæ Antiquitatis nostræ monumentum, nunquam ab aliis annotatum dignumque Posterorum memoria salutaremus.

Structura ejus laxior insuper magisque fluens, quam *Wormii* Armilla, est, ita ut super manica Brachii applicata Humerum Cubitumque simul commode stringere possit. Neque pro Plebeia, quod ærea est, censi credas; cum aureas vel argenteas apud nos unquam effossas non audiverim. Ast Plebeiarum vestigia in hunc usque diem supersunt circa Ornatus
 utri-

utriusque Sexus in Lithuania Prussiae orientalis, qui veri Prussorum veterum Descendentes, & Curlandia, qui diebus in primis solennibus Ossa Cubiti eadem plane figura, qua Armilla aerea apparet, arctius licet, vel ex serico & lana contextis fasciis (si ditiores sunt) vel Fimbriis variegatis cujuscunque Panni (si pauperiores) constringunt. Moris iisdem adhuc quoque est, Abdomine minimum duobus & quidem similibus cingulis victo, superbire.

Propter affinitatem cum Armilla hac Brachiali veterum Prussorum, libet eidem adjungere Annulum regenteum, (*vid.* TAB. I. Fig. 2 & 3.) quem ante annum, & quod superfluxit temporis spatium, vir prænob. Dn. *Andreas Lilienthal*, S. R. Maj. Boruss. a Consiliis Belli & Redituum, Camerae Regalis, in Urna Prussica effossa inventum mihi tradidit, similibus lineis convolutis pro Gemma contextis, reliquo in duas extremitates sibi non conjunctas, sed invicem vicinas, circumlumque formantes, excurrentem, ita ut digitum plus minusve crassum æqualiter ambire possit.

Expedito hoc Schediasmate a Viro Consulari Gravissimo Dn. *C. G. Ehlero* ex Diario, quod 1734. & 1735. Petropoli præsens per Filium suum conscribi curavit, & edocti sumus, Toreumata non nisi Aurea varii generis, ad nostrum Ceimelium æreum proxime accedentia in ditissimo totius Russiae Autocratricis Antiquitatum Thesauro, ubi imprimis Sinensia asservantur, observata: Quæ Bibliothecarius Sacrae Imperialis Majestatis ex Sepulcretis, nescitur tamen cujus regionis, effossa esse & pro Armillis haberi affirmaverat.

TAB. I.




Fig. 2.




Fig. 1.




Fig. 3.